



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, 1712

§. I. Auditor P. Tertillus, & rejicitur Palanco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84796](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84796)

revelationis, & rei revelatae, ut deinde teneretur directè assentiri rei revelatae.

N.
30.

Secundum est, qualiter Virgo se gerat, & quidem in re, de qua, salva libertate fidei, evidentiā haberi non poterat; quamvis ea non minus, quam ab Archangelo sibi noto assereretur ut vera. Etenim auditā salutatione turbatur, immò circa veritatem salutationis ab Angelo assertae suspendit iudicium directum. Similiter anceps haeret, & sine omni iudicio directo circa futuram Divini Verbi suo in utero Incarnationem, quin Angelum loquentem interpellat; nec Divini Verbi Incarnationi directè assentitur, nisi postquam Incarnatio fide Divinā credenda fieret eidem Deiparae eā evidentiā evidens, quae fidei Divinae libertati compatibilis est; nempe evidentiā credibilitatis, revelationis, & rei revelatae, non autem evidentiā revelationis, & rei revelatae; hæc enim evidentiā revelationis, & rei revelatae non stat cum libertate fidei Divinae.

N.
31.

Tertium est, quod si tantā maturitate, & omnis iudicii directi suspensione, tum circa revelationem, tum circa rem revelatam Deipara processit, quamvis neutiquam de veritate rei à suo Angelo sibi dictae posset prudenter formidare: immò, quod caput est, si omne iudicium directum circa salutationis veritatem suspendit; non enim constat, eam directè credidisse: rursus, si circa Verbi Incarnationem, cuius directum assensum supernaturalem, & voluntatis obedientiam, Angelus Dei nomine à Deipara unice, & præcipue præstolabatur, & exigebat; si, inquam, circa Incarnationem Deipara tanto tempore suspendit assensum directum, quotisque superventurus Spiritus S. & virtus Altissimi obumbratura promitteretur; nec non quousque conceptio sterilis Elisabeth in exemplum traheretur; immò ad infinitam Dei potentiam, cui nihil impossibile est, appellaretur, adeo ut Deiparae satis non fuerit vel moralis certitudo de veritate rei ab Angelo assertae, ut directum circa Incarnationem conciperet assensum supernaturalem; quin omnia exigit, quæ necessaria sunt, ut actus fidei Divinae liberae supernaturalis, & verus prudentissimè eliciatur, rogo quā animi maturitate, & iudicii directi suspensione in rebus ex se non evidentibus, & longè inferioris momenti, assertis, non ab Angelo comprehensore, sed ab hominibus viatoribus ex se rudibus, & ad falsitatem pronis, & quorum directus assensus necessarius non est, procedere debuit Deipara? Ergo velle, quod ut quis sine peccato formali, aut honeste formaliter operetur, necessarius semper

sit assensus directus, quoties rei veritas, aut honestas est moraliter certa, aut probabilior, aut probabilis, ita ut satis se solo non sit iudicium reflexum evidens de morali certitudine, aut probabilioritate, aut probabilitate veritatis, & honestatis materialis, videntur ex diametro opponi modo, quo Deipara, tum cum Angelo, tum cum hominibus procedit, quoties res erat de objecto non evidenti, nec exigebatur supernaturalis assensus fidei Divinae, sed iudicium naturale.

SECTIO II.

Illustratur novo exemplo perfectissimum intelligendi, & honestissimum Deiparae operandi modus per iudicia reflexa evidentiā de probabilitate, aut probabilioritate veritatis, & honestatis materialis.

§. I.

Auditur P. Terillus, & rejicitur Palanci.

SUMMARIUM.

P. Terilli doctrina, quod probabilitas excuset Parentes, ne Jesum citius quaerant, n. 32.

Exclamatio Palanci, n. 33.

Allego fusiuss mentem P. Terilli, n. 34.

Unice opponi potest P. Terillo, quod exemplum non respondeat questioni, n. 35.

At, exemplum est evidenter contra Palanci, & suadet sufficientiam solius iudicii reflexi, ut quis honeste operetur, n. 36.

Exemplum est etiam ex alio capite contra Palanci tuentem, quod probabilitas sit via perditionis, n. 37. & 38.

CRedideram novum esse argumentum N. ex Deipara sumptum, quæ ut honeste operaretur, soli nitebatur probabilitati obiectivæ; at deinde illud à P. Terillo p. 22. de Consc. n. 201. obiter insinuat in alio sensu legi; ait enim vir in paucis doctus: Non est dubium, quod magna Christum D. servandi, & colendi obligatio urgebat Deiparam, & ejus Sponsum: & tamen hos sola probabilitas à peccato excusavit, quando ipsis Hierosolymam redeuntibus, puer Jesus mansit in Hierusalem; ut enim habetur Lucæ 2. Existimantes eum esse in comitatu, cernerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & notos. Ecce (inquit P. Terillus) integrum diem progressi sunt absque amantissimo Jesu; peto autem, quid illos excusavit, quominus illum citius quaererent? Non aliud, quam probabilitas, quod esset in comitatu; hæc enim probabilitas fundabat iudicium

dicium bonâ fide prudenter conceptum, quod non obligarentur eum quærere: ergo probabilitas excusabat ab obligatione naturali eum citius quærendi. Hæc P. Teril.

N. Contra quem insurgit Palanco. *qu. 29. n. 60.*

33. & petit à P. Terillo, an probabilitas minor, Palanco. vel æqualis, quod esset in comitatu, unita maiori, vel æquali probabilitati, quod eum Hierosolymæ reliquerint? An probabilitas maior, quod esset in comitatu? Si secundum; argumentum non est ad rem, quia unice probat probabilioritatem excusare. Si primum; quis non miretur Terillum intrepide velle asserere, Deiparam ita parum curasse de SS. puero Jesu, ut cum maiori, vel æquali probabilitate, quod esset in comitatu, illum amissum relinqueret? O qualia dicuntur, ut honestetur Probabiliorista! Hæc Palanco, qui concludit: Indevotum, si non impium, est credere, quod Deipara cum maiori probabilitate, quod Jesus maneret Hierosolymis, quæsierit illum in comitatu.

N. Mirabar, quod iste Probabiliorista non vociferaretur, & stentoreâ voce ad familiares sibi exclamaciones, quæ pueros aut rudēs terrere possunt, non doctos, non appellaret. Ego antequam argumentum ex modo, quo Deipara ad sui Filij quæstionem processit, delumptum urgeam, defendere duxi P. Terillum. Probat per integram quæstionem, quod opinio dictans usum partis minus tute, & directè minus probabilis esse licitum, sit authenticè probabilior oppositâ; & post plurimos à se allegatos trahit Deiparæ, ejusque Sponsi exemplum, qui solâ probabilitate ducti, quod Filius esset in comitatu, persecuti sunt iter, & eum inter notos quæsierunt; quem cum inter eos non invenissent, regressi sunt Hierosolymam:

P. Teril. ergo (infert P. Terillus) probabilitas, quod amantissimus Jesus esset in comitatu, excusavit Deiparam, ejusque Sponsum ab obligatione citius eum quærendi; non enim certo credebant eum esse in comitatu, nam errassent; ergo tantum probabiliter; ergo hæc probabilitas fundavit judicium bonâ fide prudenter conceptum, quod eum quærere non obligarentur. Hæc P. Terillus.

N. Dicit Palanco, eam non fuisse probabilitatem, sed probabilioritatem; nam illis probabilibus; aut unice probabile erat, Jesum esse in comitatu, & ideo iter persecuti sunt, eumque inter cognatos, & notos quæsierunt. Fateor ita esse; at quid inde contra P. Terillum, quod multo magis contra Palancum, & alios Probabilioristas non sit? Nam hoc tantum est contra Terillum, quod trahat exemplum, quod titulo quæstionis non

Tom. III.

respondet; quæstio enim est, an sententia asserens licitum usum partis minus tute, & directè minus probabilis, sit authenticè probabilior? Et postquam hoc asseruit, trahit exemplum Deiparæ, & Sponsi, qui putantes Jesum esse in comitatu, quæsierunt eum inter notos; hoc tamen non putarunt minus probabiliter, sed probabilius, & ideo non sunt secuti partem directè minus probabilem, sed probabiliorē: & propterea exemplum non est ad rem; hoc enim unice opponi potest Patri Teril. At quod Palanco, & alijs Probabilioristis opponi potest, est

Primò, quod ex hoc Deiparæ, & Sponsi. N. si exemplo evidenter inferatur, necessarium 36. non esse judicium directum de veritate, ut honestè operemur, sed satis esse reflexum evidens de probabilioritate, nam Deipara suspendit hoc judicium directum, etsi sibi subjectivè probabilius, aut unice probabile; *Filius meus est in comitatu*, aliàs errasset; ergo unice concepit judicium reflexum de probabilioritate veritatis ejus judicij directi, *Filius meus est in comitatu*; & ex eo solo judicio reflexo evidenti de probabilioritate veritatis dicti judicij directi, regulata fuit Deipara & Sponsus ad honestam pueri Jesu inter cognatos quæstionem: ergo ut quis honestissimè operetur, nullum est necessarium judicium directum de veritate materiali, & honestate objectivâ actionis, & objecti, sed suspensio omni de ipsdē judicio directo, satis est solum judicium reflexum evidens de veritatis, & honestatis materialis probabilioritate: ergo si Palanco clamat contra P. Terillum, quod protulerit exemplum, non ad rem; multo magis clamare potero, & omnium voces concitare in Palanco, & Probabilioristas tuentes, nos non posse honestè operari sine judicio directo de veritate materiali rei, & materialis honestatis actus, & objecti; ita ut satis se solo non sit judicium evidens reflexum saltem de probabilioritate veritatis materialis judicij directi, seu opinionis, & materialis honestatis actus, & objecti.

Secundò idem Deiparæ exemplum etiā N. ex alio capite stat contra Palancum, quatenus 37. *qu. 29. n. 22. 26. 27.* aperte asserit, viam Palanco. non tantum probabilitatis, sed etiam probabilioritatis esse viam perditionis; & tamen Deipara, ut expressè asserit Palanco *ibid. n. 60.* per integrum diem non meminit, nisi quod *Puer Jesus esset in comitatu*. Quæro autem, an hoc judicium fuerit Deiparæ certum, an tantum probabilius, an tantum probabile? Primum dici non potest, quia illud judicium erat falsum; ergo non erat omnino certum;

Z iij

certum;

certum; ergo ad summum fuit unice probabile; ergo probabilitas non est via ad perditionem. Addo sibi contradicere, si enim contra P. Terillum dicit, exemplum non esse ad rem, quia Deipara, non probabiliter, sed probabilius putavit Filium esse inter notos, quomodo probabilitatem vocat viam perditionis? quod si ita est, amabo ut dicat mihi, an hoc sit pium, vel potius impium somnare de Deipara; & sic habet, quod

P. Terill.

Palanc.

N.

38.

Palanc.

Tertio ex alio quoque titulo idem Deipara exemplum stat contra Palancum, quatenus simpliciter rejicit iudicium reflexum supra directum; & tamen nisi velimus, quod Deipara materialiter errarit eo iudicio directo sibi unice probabili, *Filius meus est in comitatu*, non potest aliter defendi Marianæ mentis ab omni materiali errore immunitas, nisi dicendo, quod suspenderit illud iudicium directum, *Filius meus est in comitatu*, nam erat falsum, & unice appellavit ad hoc reflexum: *Est mihi evidenter probabilis, aut unice probabile, quod Filius meus sit in comitatu*: quo iudicio reflexo evidenti de probabilitate Deipara directa fuit ad honestam Filij inter cognatos quaestionem: ergo si Deipara exemplum non est ad rem pro quaestione, quam tunc tractat P. Terillus; attamen summe ad rem est pro nostra conclusione, quâ dicimus, necessarium non esse iudicium directum de veritate rei, ut honeste operemur, sed satis esse reflexum evidens, saltem de probabilitate; quæ tamen omnia Palanco inficiatur.

P. Terill.

Palanc.

§. II.

Qualiter Deipara imminente Filij sui Partu, & Passione se gesserit?

SUMMARIUM.

Doctores obligantes ad iudicium semper directum, n. 39.

P. Suar. ait, certam esse sententiam, immo oppositam pias aures offendere, quod Deipara nunquam errarit materialiter, n. 41.

Eiusdem rationes, n. 42.

Qualiter P. Suar. solvat objectionem, quod Patres existimarint Filium esse in comitatu, n. 43.

P. Suar. asserit, tum quod iudicium de probabilitate sit satis, tum quod Deipara conceperit reflexum de probabilitate. Virumque nos tuemur, illud necesse ut prudenter, hoc ut

prudenter operemur, quo modo Deipara operata fuit, ibid.

Obligare, ut directum semper seramus de incerta iudicium, est obligare, ut erremus, & ne eam summam prudentiam operemur, n. 44.

Deipara, Beati, & viri, quo prudentiores sunt, & perfectio dominio gaudent, eo frequentius solo reflexo contenti sunt, n. 45. 46. 47.

Iudicium de objectivâ, est minori probabilitate debet esse certum, ibid.

Longè minus errari potest circa probabilitatem, quàm circa probabilitatem, aut veritatem. Cur? n. 48.

Plures actus virtutis operata est Deipara tempore passionis, directâ a solo iudicio reflexo, n. 49. 50. 51. 52.

Satis ut prudenter, etsi non prudentius operemur, solum reflexum de minori probabilitate, confuso reflexo de maiori, n. 53.

TAndem, quidquid sit, an exemplum à N. P. Terillo propositum sit satis ad suum propositum; hoc scio fortè non probare, prout ab illo trahitur, nostrum præfens intentum. Dicit enim potest, quod quamvis argumentum ex Deipara exemplo rectè probet satis esse probabilitatem subjectivam, attamen non probat satis esse probabilitatem objectivam, de quâ nunc disputamus. Quare idem Deipara exemplum, quod P. Terillus trahit, ut probet sufficientiam probabilitatis subjectivæ, ego illud idem traho, ut probem satis esse objectivam probabilitatem; & quidem puto argumentum esse profus insolubile ab illis Probabilioristis, qui negant satis esse ad honeste formaliter operandum, iudicium evidens reflexum, non tantum de æquali, aut minori, sed nec de maiori objectivâ probabilitate. Hi autem sunt valde pauci; nempe P. Eliz. P. D. Thyr. P. Eliz. P. D. Munief. Candidus, & Palanco; nam reliqui Probabilioristæ in hoc nobiscum sentiunt, quod necesse non sit semper iudicium directum de veritate; sed satis esse reflexum de objectivâ probabilitate: etsi à nobis in hoc alio dissentiant, quod velint requiri saltem iudicium evidens de maiori; non autem satis esse de minori, aut æquali objectivâ probabilitate; eo modo, quo ad recte operandum, juxta illos, non satis est iudicium subjectivæ requæ, aut minus probabile, sed necessarium est iudicium subjectivè probabilis de veritate materialis objecti; per nos autem satis est iudicium directum subjectivæ æquæ, aut minus, certò tamen practicè probabile.

Ut ergo oculis pateat contra P. Eliz. Cand. didum, P. Munief. Palancum quæ. 5. n. 136. P. D.